

adæquat pondus solidi totius: de pondere autem suo eiusmodi solidum tantum *respective* amittit, quantum est pondus fluidi loco pulsi.

* *Probl.* Gravitates specificas corporum tam solidorum quam fluidorum relate ad aquam pluviam invenire.

MOTUS FLUIDORUM AQUEORUM.

XXI. Celeritas aquæ ex vase constanter pleno erumpentis per se loquendo tanta est, quam corpus lapsu libero per altitudinem columnæ incumbētis a gravitate obtineret, quocum etiam experientia satis adcurate consentit.

XXII. Quantitates effluentes rationem compositam ex apertura, tempore effluxus et subduplicata altitudinum sequuntur.

* *Probl.* 1) Data diametro vasis cylindrici et foraminis invenire altitudinem primam aquæ, ut intra datum tempus depleatur. 2) Vas cylindricum ea ratione dividere, ut aqua intra duodecim horas effluens spatia, quæ singulis horis vacua relinquuntur, adcurate designet.

XXIII. Fluidum e vase perpendiculariter profiliens per se ad eandem vasis libellam ferri debet: in praxi tamen ascensui verticali plura obstant.

H 4

XXIV.